



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XLIII. Conclusio & dictorum quasi recapitulatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

ad usque ultimos terræ limites se diffudit, firma perduravit, & usque in finem mundi perdurabit, omnibus sectis, quæ ei oblatrant, & ogganniunt penitus intercidentibus. Ecclesia Dei est arca Noe, sicuti autem hæc aquis diluuij subleuabatur, cum cæteræ res deprimerentur, opprimerenturque; ita & illa tribulationum & persecutionum aquis erigitur: quibus hæreticorum sectæ, & synagogæ humiliantur ac comprimuntur.

In his itaque omnibus, quæ de diuina Oeconomia diximus, nos ipsos consolemur; diuinam illam familiæ Christi institutionem, ac admirandam eius propagationem stupentes admiremur. Cæterum tempus est, ut huic meo opusculo finem imponam, singulosque catholicos Christianos exhorter, ut beneficium suæ ad CHRISTVM vocationis grata mente recolant, & alios ab ea elongatos diuina auxiliante gratia ad eandem pertrahant.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Conclusio, & dictorum quasi recapitulatio.

VT autem tractatum hunc finiam, finemque principio iungam, illud prophete

pheticum iterum, *Beatus populus cuius Do-* *psa, 143.*
minus Deus eius. populus, quem elegit
 Dominus in hæreditatem sibi quem
 Christus congregavit, & in suam famili-
 am admisit, suæ Ecclesiæ adscripsit. Huic
 enim populo prærogatiuæ & priuilegia
 hæctenus enumerata debentur: Parti-
 ceps est sacramentorum, quibus gratia,
 virtutes & alia dona cœlestia conferun-
 tur: Huic scripturæ sacræ, leges sanctæ, di-
 uina consilia, fideles prædicatores, vera-
 ces Doctores, vigiles Pastores à Deo con-
 cessæ sunt: O beatum itaque populum, O
 terque quaterque beatum, qui utinam sa-
 peret, & hæc sua felicitate bene vteretur.
 Christiani sunt in nauicula Petri, in fa-
 milia domoque Dei, in qua spirituales
 gratia abundant. Deus in ea omnia di-
 sponit, ac dirigit per seipsum inuisibiliter
 per Prælatos autem & pastores, quos ipse
 instituit visibiliter.

Christianorum itaque est hanc suam
 felicitatem probè perpendere, priuilegia
 & fauores quibus præ cæteris Deus eos
 dignatus est afficere, serio meditari: cum
 in hanc familiam per baptismum intra-
 uimus, facti sumus filij Dei, & vitæ æter-
 næ hæredes, quæ sanè tanta gratia
 est, quantam dicendo exprimere neque-
 as; adeoque eam summa diligentia, & cu-
 ra custodere debemus; non enim di-
 cit CHRISTVS, qui bene coepexit, sed qui

*Contra ino-
constates*

Ephes. 4.

in finem vsque persecerunt, hic salus erit. Sunt nonnulli leuioris spiritus homines, qui omni vento Doctrinae, vt Apostolus loquitur, circumferuntur, ac ita deserta Dei Ecclesia ad Diaboli Synagogam transfugiunt, & relicta vera fide & Religione in haeresim ac infidelitatem prolabuntur. Sunt & alij, qui dubitant, num sibi in fide & Ecclesia Catholica sit persistendum: Non hoc est, quod veros Christianos facere oportet, deliberatos iam eos esse decet, & vocationem suam satagere, bonis operibus certiozem reddere, firmoque proposito stabilire, vt suae vocatione condignè ambulent. Monet

Ephes. 4.

hoc eos Apostolus cum ait, *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione in qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine &c.* Et ipse Christus, *Estote perfecti sicut pater vester caelestis perfectus est.* Volunt enim nos semper ad perfectionem Christianae vitae contendere, & nos quantum fieri potest Deo similes reddere.

Matth. 5.

hortet
se bonū
christia-
nū.

Qui solo Christiani nomine gaudent, & gloriantur, tandem se miserè deceptos inueniēt, cum in extremo illo & distriktissimo iudicio comparebunt: Optabunt tunc esse filij regni caelestis, sed pro eiusmodi Christus eos non recipiet, verum tantò seuerius puniet, quantò maiora media, & occasiones beneficiendi, ac
salutem.

salutē suam procurandi habuerunt: Nam adhuc in mortali vita agens, similibus comminabatur dicens, *Vae tibi Corozaim, & tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent: Verumtamen dico vobis remissius erit Tyro & Sidoni in die iudicij, quam vobis. Non enim haec ad solos ciues Corozaim, & Bethsaida; sed ad omnes Christianos spectant, vt docet Chrystost. nam vt alibi inquit Christus, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; & cui commendauerunt multum plus petent ab eo.*

Matth. 23.

Chryst. 13.
com. col.

Luc. 12.

Posset quidem futurorum malorum metus nos exstimulare, vt Dei donis & gratijs Spiritualibus bene vtamur: liberalis tamen donantis bonitas, ad idem nos impellere, & quasi cogere deberet: nam quid quæso nos boni fecimus, quo in familiam Christi ascribi meruimus? quid est in nobis, cur nos Thesaurorum ac diuitiarum Spiritualium participes esse voluerit? eramus eius inimici, & natura filij iræ, & tamen non secum in gratiam redire permisit, imò membra sua, & coheredes regni coelestis effecit.

Amore
Dei oportet bene
facere.

Quis ergo erit, qui hæc tanta beneficia, quibus quotidie in Ecclesia Dei afficitur, ruminans, desiderio vitam vocationi suo conformem agendi non flagraret? amore

X 7

viam

*Fervor
primitivæ
Eccles.*

vitam legitimo Ecclesie filio dignam
vivendi non arderet: Feruebant hoc desi-
derio primitivæ Ecclesie Christiani, qui
omnibus suis divenditis pretium ad pe-
des Apostolorum projiciebant, ut se ab
omni cura ac sollicitudine temporali, ad
melius vacandum Deo, liberarent: ideo-
que tantopere in fide radicabantur, ut
decernendo poenas Præsides, vulneram-
figendo tortores, at non ipsi perferendo
fatigarentur. Vita eorum corporibus eri-
pi poterat, at non fides animæ. Et qui
modo cum Indiis sunt Christiani, tam-
etsi bona sua in commune non redi-
gant: adeò tamen prompti paratique
sunt ad opera misericordie, ut qui non
viderit vix credat: cernere eos est in ora-
tionibus assiduos, in meditatione & ce-
lestium contemplatione fervidos, in
Missa ac divinis officiis devota mente at-
tentos, ad conciones, sacramentum lectio-
nem audiendam promptos, ad frequen-
tationem Sacramentorum proclives, ac
ut paucis finiam, adeò sunt dediti morti-
ficationi, cilicio, flagellis, vigiliis, ieiuni-
is, ac similibus operibus poenitentialibus,
ut freno potius, quam calcaribus ege-
ant. Hæc autem ita ferventer faciunt,
quia tam vividè adhuc recolunt recens
beneficium vocationis suæ, qua de ido-
latria educti ad veri Dei cultum addu-
cti, & de servitute sathanæ erepti, in
libertatem filiorum Dei, denique à morte

*Devotio
Indorum.*

peccati resuscitati, ad vitam gratiæ introducti sunt.

Oportet equidem & nos detritos prope modum Christianos huius beneficii haud minus quam illos nouitios memores esse; quasi verò spectatu dignum sit si de Christianis parentibus nati Christiani, minus deuoti sint, aut in sua fide constantes, quam Aegypti illi recenter de idololatria, & paganismo educti? Auertat id Deus; maximè dedecori id nobis esset, ac vitio daretur: Decet enim nos Christianos, qui tempore antiquiores sumus, etiam in fide constantiores, & pietate tanto feruentiores esse, quanto maiorem cognitionem huius beneficii habemus: Hi enim sunt, qui infideles ad fidem pertrahere, hæreticorum, infidelium, & Atheorum casum deplorare, imò si possibile est ad eos ad viam reducere debent.

Nolim tamen dicere, cuius Christiano tantum audendum esse, vt indifferenter, cum infidelibus, schismaticis, hæreticis, & idololatriis, aliisque Ecclesiæ inimicis & excommunicatis conuersetur; sed potius hos omnes vitare tenetur, ne ab infidelibus idololatriam discat; cum hæreticis veritatem oppugnare incipiat; cum schismaticis vnitatem rumpere, & debitam obedientiam superioribus denegare, assuescat; aut cū excommunicatis in pec-

Docet equè Christianos esse deuotos quam neophytos.

Infidelium conuersatio periculosa.

caro se indueret, ac proprii cerebri sensum sequatur. Oportet ergo errantes in viam reducere, sed neque seipsum aberrandi periculo exponere. Si pro errantibus oraveris, officio tuo satisfecisti: Qui docti sunt, & quibus specialiter id commissum est, minori cum periculo aliud præstabit cæteri enim plus pijs precibus, & devotis orationibus, quam disputationibus, aut alterationibus efficient.

*Cauenda
unt scan-
dala.*

Si autem aliqui sint in quibus charitas adeo elanguit, ut procuracionem alienæ salutis non curent; caueant tales, ne sua mala vita, & exemplo extraneos magis à religione Christiana remoueant, ac alienent. Nam hæretici, & infideles cum nihil amplius habent, quod benè moniti, veramque fidem annuncianti obijciant, ad Catholicorum abusus confugiunt, inferentes, fidem non posse esse bonam, ubi sunt mores tam mali. Quamuis enim illatio falsa, & nullius ponderis sit; cum ut supra ostendimus, Ecclesia similis sit saganæ, in qua boni & mali pisces reperiuntur; hanc tamen pertiacia suæ larvam affinguat, ideoque Christiani summo opere cauere debent, ne sua mala vita infidelibus fidem nostram calumniandi ansam, & materiam præbeant. Iam olim Dominus de Iudæis apud Ezechielem querebatur, quod mala sua vita gentibus occasionem malè de sua diuinitate suspicandi darent;

darent, dicens: *Et ingressi sunt ad Genes* *Exech 36.*
ad quas introierunt, & polluerunt nomen
sanctum meum. Idem quibusdam sui tem-
 poris Iudæis exprobat Apostolus, dicens:
Nomen Dei per vos blasphematur inter Gen- *Rom. 2.*
tes. Neq; sanè paruum peccatum est, no-
 stro exemplo aliquem à via salutis longi-
 us abducere; nam ipse Dominus in Euan-
 gelio ait: *Vae mundo à scandalis; necesse est*
enim, vt veniant scandala: veruntamen *Math. 18.*
homini illi, per quem scandalū venit. Caueat
 itaque quisque fidelis, ne quempiam scanda-
 lo offendat; sed studeat alios sua picta-
 te ædificare, maximè eos, qui foris sūt,
 vt hac virtutum suavi fragrantia illi
 eò redeant vnde exierunt.

Qui autem in hac Ecclesiæ nauicula
 se vsque ad finem vitæ continuere, in
 eaque vixerit prout oportet, diluuium il-
 lud, quo exeunte submerguatur euadet;
 nam vt inquit quidam grauis Doctor:
Non habebit Deum patrem, qui Ecclesiam no-
luerit habere matrem. extra quam nulla sa-
 lus speranda est; nam vt supra particula-
 tim ostendimus, extra eam neque est fi-
 des, neque spes, neque charitas, neque
 vlla perfecta virtus, aut donum Spiritus
 sancti; neque extra eam verum sacrificiū,
 aut legitimum sacerdotium esse potest;
 extra hos cancellos, qui operatur, quic-
 quid agat vitam æternam nō merebitur.

CUM

cum gratia Dei, quæ solis Christi domesticis conferatur, destituatur.

Qui itaque diuina bonitate fauente, & gratia adiuuante hactenus in domo Dei perseuerarunt, ibidem perseuerare debent, deoq; pro collatis beneficijs gratias agere: Perseuerare inquam in hac Ecclesia militante, donec peracto prælio, ac victoria contra carnem, mundum, & Diabolum obtenta, ad alteram in cælis triumphantem coronam gloriæ percepturi, transeant.

Exhortat. ad exules ab Eccles. Illos autem qui se à grege Iesu-Christi, qui est populus Christianus, sequestrarunt, rogo & per salutem animarum suarum precor, vt serio considerent, quancis bonis spiritualibus se priuent, & in quæ mala se precipitent; Domum Dei deseruistis, vt in cauernis Diaboli habitaretis, gratiam diuinam dimisistis, vt in peccatis viueretis; cœlestibus gaudijs vos spoliastis, vt infernalibus pœnis arderetis. Audite quæso Spiritum S. per Prophetam clamantem *Mementote istud, & confundamini; Redite præuaticatores ad cor; Recordamini prioris seculi, quoniam ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis mei,* quasi dicat, in mentem vobis redeat domus paterna, à qua in longinquam regionem profecti epulatis, si liquidus vos pascit villicus, cum porcis agitis, redite ad cor, & domum redire statuite: *Exspectat vos paterfamilias Iesus*

Isai. 46.

Luc. 15.

Iesus Christus, non inter mercenarios vos recipiet, sed ut filios amplexabitur, in mutua oscula ruet; annulum fidei, & stolam charitatis vobis restituet; ergo agite extraneum illum cum suis porcis, cui famelici veneris causa adhaeseratis, deserite, in paternam domum redite, ibi panibus abundabitis, & saginati virulo Spirituum epularum saturabimini: Angeli, omnesque sancti super vestra conversione gaudebunt, & Deus etiam inter illos portionem hereditatis assignabit, si ad finem usque persevereritis. Oblationem hanc ne spernite quam si contemnitis, aliquando à Deo audietis, *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis everserit.* Quod à nobis, omnibusque bonis auertat bonus Deus, cui laus & honor per æterna sæcula,
Amen.

F I N I S.

Laus Deo, Virgini que Mariæ.